

DEFINIMUS eam quod sit motus pravus dilatationis & subsidentiae cordis, excitatus à facultate ejus stimulatâ & irritatâ à re molesta.

GENUS, quod formæ locum obtinet, est motus depravatus. Hoc testatum reliquit *Galen. lib. 2. de caus. sympt. c. 1.* ubi inquit: Convulsio, tremor, palpitatio, rigor motum illegitimum pro genere habent. Et in hoc motu animadvertitur dilatatio & constrictio non vulgaris, sed vel magna, quæ raritatem secum ut plurimum conjunctam habet, vel si facultas aut causa irritans imbecilla est, parva & crebrior, quæ utraque pro motu depravato sumitur. Etenim cor, cum vitæ principium sit, facultatem Expultricem præ cæteris partibus obtinet omnium robustissimam, quâ nihil, quod sibi molestum est, aut suum motum proprium impedire potest, patitur: imò, ut potius motus naturales ab omni injuria defendat, impeditosque expediat, vehementissimos motus instituit. Et hac ratione palpitatio sæpius in corde, & non in arteriis sentitur, quemadmodum id observarunt *Vidus & Donatus*. Per dilatationem autem & constrictionem magnam non intelligimus motum cordis vehementiorem, naturalem, sed uti dictum est, depravatum. Quâ ratione non sentimus cum illis, qui præter rem alienam molestantem spirituum quoque vitalium defectum, & caliditatem cordis præternaturalem (quæ motus potius vehementes, quàm depravatos introducunt) inter causarum genera reponunt. Videatur *Horstius problem. med. decad. 4. quest. 3.* Motuum depravatorum *Galen. libr. 2. de caus. sympt. c. 1.* triplicem constituit differentiam: Alii fiunt à solo morbo, alii à facultate irritatâ, alii à natura & morbo simul. Ad quod horum motuum præter naturam genus referenda sit palpitatio, inter Autores controvertitur. *Galenus citato loco* refert eam inter illos, qui fiunt à solo morbo. *Mercurialis de affect. thorac. lib. 2. c. 10.* reducit inter illos, qui fiunt à natura & morbo simul. In palpitatione enim ex *Gal. 2. de sympt. caus. 2.* reperiri ait duplicem motum, unum naturalem, qui dicitur esse actio depravata, & verum sym-